UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice

De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

Ulloa, Joannes de

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719

Caput I. Quidditas, & cognoscibilitas Dei, ut Unius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-81382

Visual Library

DISPUTATIO PRIMA.

De DEO quoad absoluta: Hoc est de essentia, & attributis absolutis DEI.

INtelligo sub his terminis. 1. quidditatem DEI rudi, ac imperfecto eo modo explicandam, quo à nobis cognoscitur. 2. Existentiam, & demonstrabilitatem nec non fidem de illa. 3. Attributum sempiternitatis reciprocè combinatum cum successivis. 4. attributa alia absoluta, & eorum distinctionem, vel indistinctionem tum inter se, tum ab essentia Divina. 5. Constitutionem actuum, sivè denominationum contingentium: A quibus expeditus transibo seq. Disput. ad attributa relativa, hoc est ad Mysterium Trinitatis.

CAPUT I.

Quidditas, & Cognoscibilitas Dei, ut Unius.

I. DIco primo: Quidditas DEI, ut unius non stat in Aseitate, radicalive intellectione. Undè hæ non sunt bonæ definitiones DEI *Ens à se. Ens radicaliter intellectivum.* Nec stat in Prima necessitate divinarum perfectionum; sed stat in hoc, vel alio æquivalente quoad rem præsentem. *Ens* (seu potius substantia, quippè hoc est genus minus amplum) *fruens negativè, ac positivè omni perfectione purâ ab omni imperfectione.* Explicui, probavi, atquè defendi hæc Disp. 3. Physic. Specul. num. 3. & seqq. & operæ pretium non est eadem repetere. De aseitate non differui ibi, nisi quantum Philosophis sufficiebat, hac de causa probo nunc illam ut talem non esse de conceptu quidditativo DEI: Aseitas vel sumitur in sensu positivo, & correlativè opposito Abalietati, per quam solet definiri Creatura (& sic non convenit DEO; nam sicut abalietas consistit in eo, quòd Creatura physicè producatur ab alio, ita Aseitas in eo sensu consisteret in eo, quod DEUS produceretur physice à se ipso, quod sanè repugnat) vel sumitur in sensu significante DEUM à se, hoc est *per suam essentiam esse quod est* (& hoc cuilibet convenit entitatulæ, quoniam vermiculus quilibet per suammet essentiam habet formaliter immediatè, atquè prorsus necessariò esse tale individuum talis determinatæ speciei, identificarique cum eis prædicatis, cum quibus identificatur) vel sumitur in sensu merè negativo, id est non esse ab alio. Et hoc convenit etiam chimeræ, atque puris negationibus (si cognoscibilia sint ab intellectu objecta, quæ in seipsis talia sint, ut vulgò dicitur) quia nequè chimeræ, nequè puræ negationes sunt capaces, ut physice producantur ab alio.

II. Præterea definitio DEI etiam, ut unius, hoc est definitio essentiæ, ac naturæ Divinæ cum præcisione mentali duntaxat, non autem reali, à personalitatibus Divinis, debet convenire in sensu reali, materiali, & identico Verbo, & Spiritui sancto, quibus convenit essentia Divina, quamvis non debeat illis convenire in sensu formali, seu ratione nostra, quippè loquimur in sensu mentaliter præcisivo à Trinitate. At aseitas in isto sensu negativo non convenit Verbo, & Spiritui sancto quandoquidem hæ duæ Personæ Divinæ verè physicè sunt ab alio, qui solus est *prima Origo primúmque* Principium in SS. Trinitate; ergo aseitas in isto sensu non est definitio DEI, ut unius. Quod si dixeris Verbum, & Spiritum sanctum esse ab alio in terminatione Masculinâ, sed non in neutrâ, hoc est esse ab alio, qui est *alius*, sed qui non est *aliud*: Contrà: Ergo ista definitio *ens à se*, ut conveniat in sensu reali, & identico eis duabus, Personis Divinis, & consequenter, ut sit bona definitio DEI, ut unius, hoc est Essentiæ Divinæ cum præcisione purè mentali sed non reali à divinis Personis, debet exponi sic: Ens, quod non est ab alio, qui licet sit *alius*, non est *aliud* & licet etiamsit aliud quoad personalitatem

tem (personalitas quippè, seu relatio Patris distinguitur realiter ab aliis duabus personalitatibus) non est aliud quoad naturam & essentiam: sed in his duobus expositionibus imbibitur Mysterium ipsum Trinitatis; Ergo ista definitio DEI, ut unius cum præcisione mentali, sed non reali à Divinis Personis, debet exponi, & aperiri per expositiones imbibentes Mysterium ipsum Trinitatis. Et hanc putas bonam definitionem DEI, ut unius cum præcisione mentali, sed non reali à Divinis Personis: Vel demum sumitur aseitas in sensu, & positivo, & negativo, scilicet, DEUS est ens, quod est, & non est ab alio. Sic autem præter difficultatem proximè objectam contrà istud negativum, est alia contra istud positivum. Nam sic definitio DEI dabitur per actualitatem existendi & expresè supponet hanc existentiam, cùm tamen definitio quippe quæ respondet quæstioni *quid est res* præscindere debeat ut talis præcisè ab actuali existentia, per quam respondetur illi alii quæstioni. *An sit res.*

III. Nullum ergo deprehendo sensum firmum qui mihi placeat, in ista definitione. Et insuper Definitio debet dari per primam originem, sivè radicem in sensu Logico cæterarum omnium proprietatum, & attributorum rei quæ definitur, hoc est debet dari per prædicatum, ex quo per immediatas, & legitimas consequentias illa probetur. Hæc in DEO non est aseitas, radicalisve intelligibilitas; sed habere, seu esse positivè, ac negativè omnes perfectiones puras ab omni imperfectione, quæcumque fuerit illa perfectio, aut hæc imperfectio. Ex hac quippe fruitione sive identitate nascitur per immediatas, legitimasquè consequentias, DEUM esse à se, esse radicaliter intellectivum, esse omnipotentem & quæ aliundè ex lumine naturali sciuntur esse perfectiones puræ ab omni imperfectione, quæ omnia explicata invenies loco citato. Quamobrem Aseitates sicut Omnipotentiam, Immensitatem, veracitatémque in ordinem redigo attributorum, & proprietatum Metaphysicarum DEI, qui ideò à priori est à se, & ita existit ut nullo alio indigeat, ad existendum, quia est ens identificatum cum omni perfectione, seù est ens summè perfectum, tum positivè, tum negativè, & aliundè supponitur notum naturaliter aseitatem ritè explicatam perfectionem esse illius generis.

IV. Objicies. Eo ipso, quod DEUS sit à se, non habet undè limitetur, quo circà semper est, ubique est, omnia scit, omnia potest. Ergo aseitas est radix omnium horum. Confirmatur. DEUS definitur per differentiam oppositam differentiæ per quam definitur creatura, sed hæc definitur per Abalietatem, ergo DEUS per Aseitatem: Secundò. Nec definitio quam dedi convenit in sensu reali Divinis Personis quoniam quælibet Personalitas Divina est perfectio pura ab omni imperfectione, & non quælibet identificatur realiter cum aliis, siquidem Divinæ Personalitates distinguuntur realiter inter se. Distinguo antecedens objectionis, eo ipso in sensu reali concedo, quippe aseitas reciprocè identificatur realiter cum omnibus aliis attributis Divinis. Eo ipso in sensu formali, quatenus ex sola aseitate, nullo alio adjuncto medio, nisi suppositis illis, quæ naturaliter sciuntur, possimus inferre eum nullam prorsus habere limitationem nego. Nam etiam homo à se, ex se, hoc est ex suammet essentia est animal intellectivum, & tamen per suammet quoquè essentiam limitatur, ne sit tam intellectivus, quam est Cherubinus; ergo ex eo præcisè, quod DEUS sit à se, nisi aliud addatur non habebimus, quòd non limitetur per suammet essentiam, ne possit plusquam talem numerum determinatum rerum, ne sciat plusquam talem numerum determinatum veritatum. Igitur, vel aseitas coincidit cum plenitudine infinitatéque perfectionis; vel non? si primum coincidit cum definitione, quam dedi, quæ ideò præponenda videtur, quia clariùs exprimit hanc plenitudinem. Si secundum, ex ea præcisè nequeunt inferri istæ aliæ perfectiones, nisi fortè per longas, & ambiguas consequentias.

V. Ad primam confirmationem distinguo minorem per abaleitatem consistentem in eo quod sint utcumquè ab alio nego. Verbum namquè, & Spiritus sanctus sunt quoque simpliciter ab alio, qui quamvis non sit *aliud*, est simpliciter, & absolutè *alius*, & tamen non sunt Creaturæ: Consistentem in eo, quòd obnoxiæ sint imperfectionibus positivis & negativis Concedo Minorem. Character enim

omnis

omnis Creaturæ est, quod sit perfectione finita, unde Character Dei est, quod sit perfectione infinitus, hoc est, quod fruatur omni perfectione simpliciter simplici, quæ nimirum à parte rei sit pura ab omni imperfectione. Hujusmodi perfectio in sensu reali repugnat Creaturæ, secus si consideretur in sensu formali abstracto, & præcisivo: quia primo modo inspecta est perfectio, quæ prout est à parte rei, nulli penitus admixta est imperfectioni sivè positivæ, sivè negativæ. Secundo autem modo est perfectio, quæ in suo conceptu formali, seù in sua definitione nullam exprimit imperfectionem. At quamvis Creaturæ conveniant multa, quæ in suo conceptu formali nullam exprimunt imperfectionem, v. g. esse substantiam, esse vivens, esse electivum, &c. repugnat tamen illi prædicatum, quod prout est à parte rei non corrumpatur imperfectione ulla, quandoquidē hæc ipsa prædicata, quæ modò dixi, imperfectionibus scatent in Creaturis. Ergò licet his non repugnet perfectio, quæ in sensu formali sit negativè simpliciter simplex, seù pura negativè ab omni imperfectione, repugnat perfectio, quæ in sensu reali talis sit. Ad secundam: nego assumptum. Ad probationem respondeo, quod licet Divinæ personalitates distinguantur realiter invicem, singulæ tamen sunt in aliis per circuminsessionem posteà exponendam, quam docuit una ex Divinis personis inquiens: *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Joan. 14. Tota quippè entitas, realitas, veritas, & perfectio Paternitatis non est alia, ut posteà dicam, quàm entitas, realitasquè essentiæ, quæ sanè est in aliis duabus Personis. Ergò singulæ Divinæ personæ fruuntur omni, & tota perfectione aliarum; Ergo singulis convenit ea definitio. Prætereo leviora alia, v. g. Quòd Deus componeretur ratione nostra ex genere, & differentia, unde ratione nostra, qua apparet summè perfectus, apparet simul imperfectus; quòd sequeretur, nos agnoscere Deum quidditativè in hac vita: Quòd ratio, definitio, & species sunt idem, undè ubi non datur species sicut in Deo, non datur, nec potest dari definitio: Quòd singularia, ut talia non definiuntur. Hæ & similes vetustates mitto, quia impugnant omnem definitionem Dei, cùm tamen Theologi ferè omnes incumbant in eam: ut pro modulo nostro sciamus, quid sit Deus, cujus Creaturæ sumus; Et quia solum probant nos non posse dare exactam & perfectam definitionem Dei, quod concedimus, & tantum aspiramus ad aliquam, ex qua tamquam ex primo principio Logico inferamus per immediatas, & faciles consequentias cæteras proprietates necessarias Dei, quarum cognitio conceditur nobis.

VI. Dico 2. Tametsi existentia Dei, ut unius non sit per se nota, viatoribus, ut probat S. Thomas (Beati profectò intuentur illam, undè non egent ratione suasivâ ut illam sciant) nisi illis, quibus fortè Deus speciale infundit lumen, id est firmissimam quandam cognitionem, aut speciem intelligibilem, aut apprehensionem ex illis, quæ vocantur suasivæ, vi quarum absquè ulla alia suadente, ac probante ratione certissimi prorsus sint de existentia Dei, eo modo quo Disp. sequente dicam esse possibilem evidentiam immediatam & simul abstractivam SS. Trinitatis. Est tamen demonstrabilis non tantum à posteriori ex Creaturis (quam demonstrationem passim apud Theologos invenies tum stylo Oratorio ornatam, tum Scholasticis numeris ligatam, & hac de causa ab illa tempero manum, & quæ demonstratio elicuit ab Augustino famosa illa verba, *Et audivi sit- cut auditur in Corde, & non erat prorsus unde fess. dubitarem: faciliúsque dubitarem vivere me, quàm non esse veritatem quæ per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicitur.*) Sed est etiam demonstrabilis à priori; non utique physico, quia Deus non est capax causæ, ex qua procedat, sed Logico, aut Metaphysico, id est, est demonstrabilis ex definitione ipsa Dei; Demonstrabilis inquam non in sensu tum directo, tum reflexo, quippe sic non esset locus quæstioni de hac demonstrabilitate. Sed in sensu tantum directo, sicut solet affirmari *esse de fide* illud, de quo dubitatur inter Theologos sit nec ne de fide, negantibus unis, & affirmantibus aliis. Hæc explicui, & probavi Disp. illa 3. Phys. speculativæ, quibus non adversatur S. Thomas pr. pa. qu. 2. art. 2. ubi tantum contendit, Deum esse demonstrabilem ex effectibus; quòd si hoc sit negare indirectè demonstrationem à priori: Concedo negationem à priori Physico secus à priori Logico, aut Metaphysico. Probo ergo solam primam partem hujus Conclusionis.

1. p. q. 2. art. 2.

Lib. 7. Conf. cap. 10.

Idem cap. 23. de Perseverantia. *Threnor. 1.*

VII. Quemadmodum justa Augustinum dicimus *lætum diem*, *qui lætos facit:* Et quemadmodum juxtà Jeremiam. *Viæ Sion lugent.* Quia lachrymas eliciebant ab intuentibus illam solitudinem; non verò quia viæ ipsæ formaliter in se ipsis lugerent, aut quia dies formaliter in se ipso lætus sit, cùm ambo hæc, utpotè insensibilia, incapacia sint harum passionum. Ita objecta passim dicuntur evidentia, obscura, certa, probabilia, per se nota, aliundè nota, vera, falsa, certa, dubia, non quia ipsa formaliter in se, atque à parte rei sint talia formaliter, ut jam olim adverti Disp. 2. de Anima n. 96. & seqq. quivis namquè mediocriter versatus in vocabulario Philosophico novit voces has significare qualitates quasdam competentes solis *Cognitionibus*, quibus pro tempore cognoscimus res, non autem rebus ipsis. Hæ namquè quæcumque sint, sivè arduissimæ, sivè facillimæ, sivè nobis familiares, sivè omninò peregrinæ, capaces sunt ex sua natura, ut cognoscantur à nobis cognitione vera, falsa, certa, probabili, evidente, obscura, per se nota, per aliud nota. Undè sicut per figuratam locutionem apponi solet actibus nostris nomen suorum objectorum, v. g. *Fides divina*, aut suorum principiorum, v. g. *Actio Divina*, *actio imprudens*, *actio rationalis*, *&c.* ita per figuratam quoquè locutionem solet dari objecto nomen proprium actus nostri v. g. *Spes mea*, *Gaudium meum*, *&c.* Significant igitur illæ voces *Evidens*, *Obscurum*, *&c.* Cognitiones, quas habemus de objecto, quod loquimur, vel quas habere debemus juxtà circumstantias hic, & nunc præsentes. Undè quando dicimus *talis res est obscurissima est difficillima*, sensus est rationes, quæ occurrunt contrà ipsam, & carentia rationum aliarum ipsam aperientium, reddunt valdè difficilem, vel apprehensionem justam illius, vel assensum, vel utrumque. Quando dicimus *talis res est evidens*, sensus est, species, ac rationes suasivæ hujus rei, vel cognitio ejusdem judicativa, tales sunt, ut locum non relinquant dubio de illa. Harum omnium qualitatum explicationem dedi Disp. 2. de Anima à cap. 6. Sunt itaquè reflexæ omnes hæ locutiones, quæ aliàs videntur directæ: videntur quippe procedere de objectis ipsis, & non procedunt nisi de cognitionibus, quibus hic & nunc illæ repræsentantur; ut contingit etiam omnibus propositionibus affirmantibus, aut negantibus identitatem, aut distinctionem rationis, ut dicebam Disp. 1. Log. Maioris cap. 5. Ratio à priori sumitur ex quidditate ipsa, & realitate, quas loco citato dedi, harum omnium denominationum, nam qui penetrat in quonam consistit hæc realitas, & quidditas, novit illicò, quid enuntient propositiones, quæ has denominationes affirmant, aut negant.

VIII. Igitur, ut dicebam in ea disputatione de Anima num. 105. rem esse per se notam, seu ex se, atquè ex suis terminis evidentem, non stat physicè, ac realiter in eo, quòd ipsius veritas, aut falsitas objectiva, & transcendentalis (solet enim esse per se notum, atquè ex terminis evidens, falsam esse talem, aut talem rem, quia non sola judicia affirmativa, sed etiam negativa solent esse per se nota, seù ex terminis evidentia, v. g. *Non potest res esse, & simul non esse*, quia falsitas hujus simultatis est per se nota) non stat inquam in eo, quòd res ipsa identificetur, aut intimè connectatur cum nostra ipsius cognitione, nequè hoc significatur illo *per se*, quia, ut nuper dicebam, non est veritas, aut falsitas ulla, quæ ex se non sit capax, ut à nobis cognoscatur clarissima, vel obscurissima cognitione: Et tota claritas, atque obscuritas, facilitas, atque difficultas, promptitudo, atque renitentia, quam habemus in intelligendo, hoc est in apprehendendo res, eisquè assentiendo, vel dissentiendo, non stat in rebus ipsis, quibus alii solent protinus absque ulla difficultate assentire aut dissentire; sed stat in nobis ipsis, qui præoccupati aliis speciebus, rationibus, aut passionibus, vel parum, aut nil assueti rei, de qua est sermo, vel aliò distracti, vel modicam habentes rationem ad repellendum sophismata, quæ solent insurgere contra illam rem, vel terminos, quibus nobis obversatur, non capientes, tardè movemur ad intelligendum rem illam, & tardius ad præstandum assensum, aut dissensum illi debitum: Quapropter esse veritatem per se notam, sivè ex terminis evidentem stat physicè à parte rei in eo, quod termini, quibus res proponitur vulgò, & frequenter (non alii minus usitati) sint tales, ut absquè ulla ratione suasiva absque interventu discursus, illico assen-

assentitur intellectus, v. g. *Bis tria faciunt sex. Quodlibet est, vel non est*, aut illicò dissentitur si sermo sit de falsitate per se notâ, atquè ex terminis evidente. v. g. *potest res esse, & simul non esse*, ubi aliud non requiritur, quam intelligere vocum significationem.

IX. Tunc sic argumentor pro prima parte Conclusionis scriptæ num. 6. Ergò existentiam Dei, ut unius esse per se notam viatoribus, seu esse per se notam quoad nos, ut loquitur S. Thomas absquè speciali eo lumine, quod ibi dicebam staret in eo, quod hi termini *Unus DEUS existit in rebus*, tales essent, ut absquè interventu discursus, absquè ulla ratione suasiva, eo solum, quod intelligeretur ab homine eorum significatio protinus hic assentiretur, sicut protinus assentitur huic veritati *bis tria sunt sex*, & protinus dissentitur huic falsitati, *Res simul est, & non est*, eo solum, quod attendat, & ambo dicantur idiomate illi noto; Et sicut eo ipso, quod lux materialis offundatur objecto visibili, ac præsenti, oculus capax, & attentus videt illud absquè ullo alio argumento; Atqui res non ita contingit; aliàs sicut nemo, nisi terminorum inscius potest negare, vel dubitare *Quodlibet esse, vel non esse. Bis tria esse sex, &c.* Ità nemo, nisi ignarus significationis vocum, posset negare, vel dubitare, existentiam unius Dei. Unde peccatum Atheismi non tam foret insipientia moralis sicut quodvis aliud lethale, quàm insipientia physica id est ignorantia significationis vocum; neque esset formaliter in se ipso peccatum, sed ad summum effectus & pœna peccati alicujus (v. g. omissionis studiositatis in discendo significationem illarum vocum) propter quod Deus obcæcaret physicè hominem, sicut obcæcaret mors, quam infligeret in pœnam alicujus peccati; Ergò sicut hæc mors non foret formaliter in se ipsa peccatum, ita nequè Atheismus esset in se ipso peccatum, sed ignorantia physica, & qui negaret esse Deum, esset sicut qui, audiens rem sub idiomate sibi ignoto, negat illam, ubi ad summum est peccatum temeritatis. Ergo unum Deum existere, quamvis sit evidens, & demonstrabile; attamen non est *per se notum*, sicut *Quodlibet est, vel non est*; Ubi, ut vides non excuso absolutè peccatum Atheismi, sed tamquam absurdum ingens infero ex opposita sententia excusationem hanc. Neque eam infero ex eo, quòd non sit per se notum, quod ille negat (multa enim credere debemus, quæ non sunt per se nota) sed ex sententia asseverante existentiam unius Dei esse per se notam viatoribus, sicut *quodlibet est, vel non est*, infero, ut absurdum fore, ut Atheus non tam esset insipiens moraliter, quàm insipiens physicè, & fore consequenter, ut non peccet actu formaliter in Atheismo, quippe non minor est ignorantia physicè negare, quod est per se notum, quàm negare quod demonstratur. Tria sibi objicit S. Thomas contra hanc conclusionem, sed cùm clara sint quoad difficultatem, & quoad solutionem, apud ipsum S. Doctorem Legi possunt.

CAPUT II.

Existentia, & authoritas DEI creduntur Fide.

X. Dico tertiò. Quamvis S. Thomas doceat existentiam DEI (ut unius sanè) non esse articulum Fidei, sed præambulum ad hanc (quod postquam conatus est explicare Cajetanus ibi, monet Lectorem *Esto cautus*) hoc non tollit, quòd possit, debeátque credi per assensum Fidei Theologicæ. 1. Quia ratio, quæ S. Doctorem movit ad hoc dicendum, fuit inconjungibilitas scientiæ, ac Fidei, ut ibi objicit in primo illo argumento. *Demonstratio*, inquit, facit scire, *Fides autem de non apparentibus est, ut patet per Apostolum*; sed communis nostrorum sententia, quam explicui, & probavi Disp. 3. de Anima cap. 4. negat hanc inconjungibilitatem. Ergo negat motivum dicendi existentiam Dei non esse de Fide. 2. Quidquid modò sit de termino illo *articulus Fidei* siquidem non omnia, quæ sunt de Fide, dicuntur esse articuli Fidei, eò quia hæc vox significare solet illa quæ specialem nostram Fidem Christianam componunt quæquè unicè, aut præcipuè ex Sacra Scriptura prout ab Ecclesia intelligitur, constant; attamen omne illud, cujus negatio per hominem baptizatum esset hæresis, & destrueret habitum Fidei, & hominem illum subjiceret pœnis impositis contrà hæreticos, est de Fide: quia sola negatio rei de Fide est hæresis, vel simplex,

1. p. qu. 2. art. 2. ad 2.